

035	
033	
039	
029	
044	
024	
084	
134	
534	
	Ende
	Anfang

24

turpitudo posteriorum totaliter apparebat. Habebat autem juxta vulvam naturalem aliam scissuram, quasi esset secunda vulva, per quam tamen nihil recipit nec egerit, nisi ut dicetur. Dum ergo sic bestia teneretur, sibilabat et stridebat ac spumabat prae iracundia, ea autem furente protulit Tangwardinus cochlear parvum argenteum et intrusit eum secundae vulvae bestiae, ex cuius sensu movit bestia vulvam et interiorem carnem emisit extra, in qua materia turpis, coloris cinericei, dependebat. Hanc materiam rasit Tangwardinus cum cochleari de carne, et cochlear plenum protulit et bestiam dimisit. Praebuit autem nobis ad odorandum hanc turpem materiam et erat suavissimi odoris, quasi muscum, pretiosior tamen museo fuit, quia non venditur, nisi aequali pondere aurum remetiatur. Plures ducatos recepit a peregrinis militibus pro illa materia, quae erat sicut pulmentum de avena bene spissum. Interrogavimus ergo virum de masculo (**B**) illius speciei, an etiam esset ferax talis materiae, qui dixit, quod per oppositum ab eo extraheretur materia consimilis, sed tanti foetoris abominabilis, ac si esset recens swibulum. Hanc foetidam materiam emunt truffatores et liniunt vestimenta eorum, quos deludere volunt, et ubicumque tales transeunt, stant, aut sedent secum existentes, circumspiciunt, nares obstruunt, putantes esse ibi recens sterlus humanum in caligis et vestimentis eorum, quorum vestes modicum tactae de illa materia. Sic etiam inimici dominarum volentium ad nuptias vel choreas ire, ut ibi confundantur, occulte accedunt et in quantitate unius pisi eis apponunt, a quibus propter foetorem omnes fugiunt. Ideo masculi illorum animalium non sunt alicujus pretii, sed foemellae sunt pretiosissimae.

Inde eduxit nos in thalamum suum, qui erat camera pulcherrima, marmore vestita et tapetiis pretiosis obiecta tam pavimentum quam parietes, et ne illa calceamentis nostris foedaremus, ea ante ingressum camerae solvimus et nudis pedibus, ut moris est omnium Orientalium, ingressi sumus. Erat autem thalamus ille in una singulari turre palatii, plumbo camerato opere tecto, culmen habens medium vel cornutam lunam, sicut muscheae omnes habent et erat turris rotunda, vitreis fenestris per gyrum ornata, per quas lumen in ipsum thalamum spargebatur. Sedeabant autem duae uxores ejus cum puellis suis in eo et operabantur acu muliebria; ambae autem foeminae erant juvenes pulchrae et Christianae, ut